

fronte iterum renovatur? Nedum permittamus monile illud, si deprehendatur aliqua mulier cum dicta tessera nuptiali, illi eripitur, alio modo fieri curatur vel nostris impensis, ne se paupertatis titulo excusent, fitque iuxta typum ab ipso Cardinale Turnonio datum. Adde et istud factum: occasione istius accusationis duobus Missionariis praecepi, ut disquisitionem facerent circa Taly. Inter octo millia Christianorum quot repartae sunt tesserae reficienda, quae certe Matrimonii die datae non fuerant? duae tantum. Certe si in tali numero tot in adulterium aut idolatriam ipsam incidisse deprehenderentur, num Missionariorum vitio merito vertatur? Porro etiam si de Missionariis Gallis Carnatensibus tantum loquar, utpote mihi subiectis, iudicari potest alios Missionarios esse ab illis calumniis, immunes. Nos enim sumus, nos inquam Galli, quos praecipue impetunt plures Norberti: nam inter adversarios nostros alii adhuc reperiuntur libellorum calumniosorum artifices.

7º Minae autem intentatae, nos scilicet post certum tempus in Europam revocandos, parum afficiunt plerosque Missionarios plurimum affectos taedio erga Missionem, et in ea precibus retinendos. Absque tumultu igitur relinquetur, si necessitas aliquando incubuerit. Verum Missiones istae fundatorem habent Regem Christianissimum, illiusque liberalitate sustententur Missionarii; utrum illo inscio tunc deserenda sint necne, monebit Paternitas Vestra, tunc enim silere aut loqui par videtur esse periculum. Derelictis autem Missionibus tribus Indicis num etiam Goa a Lusitanis aut ista urbs Gallica Pondicherri, aliaeque coloniae Gallicae, ubi more Europeo vivimus, ubi litteris patentibus regis id praecipiendibus domos Ecclesiasque aedificavimus, ubi ex eiusdem Regis nominatione Parochias administramus, an inquam ista omnia statim derelinqua Europaque repetenda? hoc enim non leves difficultates patitur. Si casus, evenerit, Paternitati Vestrae incumbit rebus omnibus rite perpensis monere quid a nobis agendum.

8º Quod autem spectat ad usus indicos hoc de me possum praedicare, me erga illos severiorem esse quam laxiorem. Hinc a) etiam ante ultimae constitutionis adventum nonnullae disquisitiones a me factae sunt et reformationes; b) in rebus a decretis praescriptis plura a nobis quam ab illis prohibentur, nec utimur facultatibus nonnullis ab iisdem decretis concessis; c) plura tum a meis praedecessoribus reformata et a me, quam a decretis quibuscumque, meaque vel ab ipsis adversariis laudata est ut aiunt vigilantia. Num tandem silebunt illi aut calumniari cessabunt? Non certe: testis est novus, qui manuscriptus hic prodit, libellus, tum in me, tum in Missionarios, tum in ipsam Societatem, quem libellum tribunal saeculare a tortore publico lacerari et flammis dari iussit edicto, ut reipsa factum est. Adeo pessimus et calumniosus visus est vel saecularibus ipsis, cuius auctor eiusdem fratribus centies audierat, eo quo est ingenio praeditus? Caeteri isto minus stulti ac pariter affecti, non publice, ut ille, sed consultius secreto calumniantur ut olim ipsis asserentibus, etiamsi sygnis candidiores corvis ipsis nigriores indicabimur. Quod sane satis lubenter tolerandum foret, nisi ipse Summus Pontifex erga nos male affectus foret, aut si superbia aliaque eiusmodi exprobrarentur. Verum dum satis clare publica constitutione tanquam refractarii arguimus aut etiam ut idolatriae fau-